

Circa priorem articulum a S. Rotae auditorio definitum fuit, exemptionis privilegium a Bonifacio IX. concessum et a Xisto V. redintegratum, ad eas tantum pertinere ecclesias et capellas, quas demonstraretur vere fuisse aedificatas in fundo antea spectante ad basilicam Lateranensem jure domini, nec proinde convenire iis ecclesiis, quae post earum constructionem subjiuntur eidem basilicae cum annui tributis compensatione, ut videre est in dec. 228. n. 6. et seqq. et dec. 260. cor. emer. Jun. et in Squillacen. „Jurisdictionis super bono jure“ 7. Junii 1723 cor. Lancetta.

Plura insuper ab hac sac. congregatione prodierunt decreta ad explanationem facultatis Episcopo competentis visitandi ecclesias in solo Lateranensi existentes vel sodalitia in eis instituta, ut in Miletan. „Jurisdictionis“ 23. Aprilis 1701 lib. 51. Decret. pag. 208 et 13. Maji 1702 lib. 52. Decret. pag. 190 et 6. Oct. 1703 lib. 53. Decret. pag. 445, eaque etiam refert Monacel. formul. legal. tom. I. tit. 5. formul. 2. n. 3., tom. 2. tit. 13. pag. 57. n. 50.

Magis etiam proxime ad praesentem causam accedere videtur disceptatio olim habita in Regien. „Exemptionis.“ Cum enim rector capellae sive ecclesiae sanctissimo Crucifixo dicatae contenderet amplam ibi suffragari exemptionem tam ab episcopali quam a parochiali jure, propterea quod ecclesia collocata esset in fundo Lateranensi, sac. Congregatio die 21. Jun. 1698 decisionem suspendit, ut uberius doceretur dominium fundi vere spectasse ad eam basilicam, priusquam in eo aedificaretur ecclesia, quemadmodum deducitur ex folio congregationis habitae die 20. Sept. ejusdem anni 1698. Cumque deinde die 15. Nov. proposita fuissent haec dubia:

I. An capella seu ecclesia sanctissimi Crucifixi sit exempta a jurisdictione ordinarii? et quatenus affirmative;

II. An hujusmodi exemptio suffragetur etiam capellanis ejusdem ecclesiae in concernentibus administrationem sacramentorum?

III. An iidem capellani possint in dicta ecclesia divina officia et missas solemnes celebrare?

IV. An iidem cinerum, candelarum et palmarum benedictionem et distributionem explere?

V. An sacramenta confessionis et eucharistiae extra tempus paschale in eadem ecclesia omnibus administrare absque licentia parochi vel episcopi?

VI. An in dicta ecclesia asservari possit ss. Eucharistiae sacramentum?

VII. An dicti capellani possint peragere exequia et officium defunctorum cum stola super cadaveribus in eadem ecclesia tumulandis, absque consensu et licentia parochi, reservata tamen eidem parochi quarta funerali?

VIII. An licitum fuerit et sit episcopo confessionem interdiceri eisdem capellanis semel ab ipso vel ad tempus vel in perpetuum approbatis?

Sac. Congregatio rescripsit ad I.: negative; ad reliqua: provisum in primo, ut in lib. 48. Decret. p. 522.

Generatim vero de functionibus, quas possit parochus explere in ecclesia intra fines suae paroeciae existente, invito etiam rectore ejusdem ecclesiae, vel quarum exercitium competat, sive non liceat rectori talis ecclesiae, videri possunt ea, quae referunt Pignattel. consult. 68. tom. 6., Fargna de jurep. tom. I. can. 4. cap. 9. per tot.

Huc quoque spectat resolutio edita in Comen. „Jurium parochialium“, in qua ad haec dubia, videlicet:

I. An ecclesia sive oratorium publicum S. Joannis Baptistae situm in terra Mastennae de jurepatronatus fratrum de Frincanis habeat dependentiam

sive subjectionem tam in functionibus parochialibus quam non parochialibus ab ecclesia parochiali Rezzonici?

II. An liceat parochi dictae ecclesiae Rezzonici independentem a patronis explere functiones parochiales in d. oratorio ad sui libitum, iis invitis? Ad quas respondit sac. Congregatio die 9. Junii 1714, ad I.: affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam; ad II.: negative, ut in lib. 54. Decret. pag. 214.

Recentius vero in Thelesina „Anniversarii et missae solemnis“ die 9. Febr. 1732 propositis his binis dubiis:

I. An celebratio missae solemnis pro defunctis cum anniversario in ecclesia S. Nicolai sita intra limites parochialis et collegiatae ecclesiae S. Martini civitatis Cerreti spectet ad Archipresbyterum et Canonicos dictae collegiatae, privative quoad omnes; sive potius ad capellanum dictae ecclesiae cum facultate assumendi in dicta missa et anniversario presbyteros sibi benedictos?

II. An celebratio missae solemnis cum primis et secundis vesperis die festo S. Nicolai spectet ad dictum Archipresbyterum vel potius ad capellanum dictae ecclesiae independentem et sine licentia parochi et cum facultate assumendi presbyteros, quos voluerit? Rescriptum fuit: Ad utrumque negative quoad primam partem et affirmative quoad secundam.

Ad rem itidem pertinent generalia decreta, quae anno 1703 promulgavit sac. rituum Congregatio circa similes quaestiones vertentes inter parochos et confraternitates, habentes publica oratoria sive ecclesias intra limites parochiae et praesertim ad dubium IV., X., XIII., XVI., XVII., XX., ut apud Monacell. Formul. for. eccles. par. 2. tit. 13. formul. I. pag. 1 et seq. Et cum iis decretis cohaerent quoque ea, quae haec s. Congregatio edidit in

Bononien. 15. Maji 1728 ad dubium VI. et XIII., ut in lib. 78. Decret. pag. 235.

Dignentur itaque Eminentiae VV. declarare:

I. An liceat parochi ecclesiae S. Laurentii terrae Accumuli exercere omnia et quaecumque jura parochialia in publico oratorio beatissimae Annunciationis villae Tini sito intra limites dictae parochiae, privative quoad capellanum seu rectorem beneficii erecti in dicto oratorio?

II. An rectori dicti beneficii liceat celebrare festum beatissimae Annunciatiae eademque die canere missam solemnem, sedes confessionales erigere, nec non sacramentum poenitentiae administrare seu administrari facere et indulgentias publicare, absque licentia, interventu et consensu dicti parochi?

III. An eidem rectori competat seu debeatur ulla portio tam ceriae quam aliorum emolumentorum occasione funeris subditorum dictae parochiae, quos tumulari contingat in dicto oratorio, quacunque consuetudine non obstante?

IV. An eidem rectori debeantur oblationes seu eleemosynae colligi solitae in dicta villa Tini, seu in oratorio praedicto, an et valeat in illorum administratione se ingerere absque licentia et consensu parochi?

V. An idem rector teneatur permittere, ut parochus doceat in dicto oratorio doctrinam christianam vel possit hoc impedire?

VI. An constet de attentatis et quomodo sint purganda in casu?

S. C. C. resp.

Ad primum: affirmative; ad secundum: affirmative quoad celebrationem festi et missam solemnem eadem die, in reliquis vero negative; ad tertium: quartam funeralem dumtaxat competere parochi, reliqua vero emolumenta funeris spectare ad ecclesiam sanctissimae Annunciatiae tumulantem quoad

eos defunctos, qui vel ibi elegerint sepulturam, vel ibi sint tumulandi in sepulchro majorum; ad *quartum*: affirmative quoad oblationes et eleemosynas in oratorio, ita tamen, ut ratio reddatur Episcopo et dictae eleemosynae vel oblationes convertantur in usum et cultum ipsius ecclesiae cum approbatione ejusdem Episcopi; ad *quintum*: arbitrio ordinarii; ad *sextum*: arbitrio eminentissimi praefecti et scribatur Episcopo: juxta mentem.

Die 8. Aug. 1733.

Hortana.

Cum intra fines parochiae oppidi Suriani plura sint publica confraternitatum Oratoria, rectores ejusdem parochiae insolidum, ut ajunt, animarum curam ibidem exercentes, occasione, qua sub annum 1736 in Oratorio confraternitatis S. Euthitii die festo S. Theresiae fuit a capellano celebrata Missa solemnissima cum diaconi et subdiaconi assistentia, assertae consuetudinis praesidio suffulti coeperunt contendere, nullas posse in ecclesiis dictarum confraternitatum ab earum capellanis independentem a se et privative quoad ipsos functiones etiamsi non parochiales peragi, minusque licere praefatis capellanis missam solemnem in eisdem oratoriis celebrare.

Hanc itaque controversiam aliasque imposterum facile oriturus dirimi cupientes dictarum sodalitatum praefecti supplicem supremo huic consessui porrexerunt libellum, quo post expositam suarum ecclesiarum a memorata parochiali independentiam multiplicesque parochorum, quibus vexantur, conatus petierunt declarari, licitum suis esse capellanis tum missas solemnem, assistentibus diacono et subdiacono, privative quoad eosdem parochos explere, tum praesentibus cadaveribus recitare officium defunctorum, missamque ad praescriptum ritualis ante ipsorum tu-

mulationem canere; e contra vero nullum jus esse praefatis parochis quas-cunque functiones sive parochiales sive non parochiales et mere ecclesiasticas, inconsultis confraternitatum officialibus earumque capellanis in ipsorum oratoriis peragendi, ac praeterea non quaelibet intorticia nec ceras omnes, sed quartam funeralem dumtaxat parochis deberi, quotiescunque in iisdem oratoriis vel ecclesiis tum sodalium tum aliorum quorumcumque defunctorum cadavera sepeliri contingat.

Consentaneae ad ejusmodi confratrum petitionem, receptis pridem episcopi literis, in quibus praemissae controversiae recensentur, quatuor subscripta fuere dubia, quorum decisionem inspectis decretis generalibus sacrae rituum congregationis, quae per extensum referuntur a *Monacell.* formul. for. eccl. part. 2. lit. 3. form. 1. p. 10 et seqq., quaeque saepius exornata fuere in magistralibus decisionibus sacrae Rotae in *Pacen.* funeralium 15. Maji 1723 cor. de Gamaches et novissime in Faventina „jur. parochialium“ 7. Martii proxime praeteriti coram reverendo patre domino vicecomite, nec non in pluribus foliis sacrae congregationis et signanter in *Asculana* „Jurium et sanctionum parochialium“ 8. et 29. Augusti 1733, in *Privernen.* „Aedificationis ecclesiae et jurium parochialium“ 24. Septembris 1735 et in *Firmana* „Jurium parochialium“ 2. Junii 1736, grave non erit EE. PP. edicere:

I. An in ecclesiis confraternitatum laicalium terrae Suriani expleri possint functiones non parochiales et signanter celebrationes missarum cum assistentia diaconi et subdiaconi independentem a parochis in solemnioribus earumdem ecclesiarum festivitatibus?

II. An in dictis ecclesiis possint parochi peragere functiones tam parochiales quam non parochiales, irrequi-

sitis officialibus et Capellanis dictarum ecclesiarum?

III. An Capellani dictarum ecclesiarum recitare possint Officium defunctorum et canere missam ad praescriptum ritualis, antequam sepeliantur cadavera illata in dd. ecclesiis, seu potius privative id spectet ad parochos?

IV. An occasione tumulationis defunctorum in dictis ecclesiis debeantur parochis omnia intorticia et cerae, seu potius debeatur sola quarta funeralis in casu?

S. C. resp.

ad 1.: Affirmative;

ad 2.: Negative;

ad 3.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;

ad 4.: Servetur solitum ad formam Constitutionis san. m. Bened. XIII.

Die 14. Junii et 5. Julii 1738.

3) Quod est Publicum?

Vercellen.

Episcopus Vercellensis occasione Visitationis Sacrorum Liminum, inter caetera exposuit, ut infra videlicet:

Unum aegre displicuit in Castro Castellengi Oratorium, quod, licet cunctorum Rusticorum pietati pateat, tamen intra moenia ipsius Castri soli Dominorum familiae inservit et continuo nocturno tempore etiam hisce diebus pacis clauditur janua, hoc addito, quod etiam in diebus festis solemnioribus a Sanctissimo exceptis, ut in Paschate Resurrectionis, Natalis Domini prohibet non cessare, renuente Parocho, immo post meam visitationem monitus nec acquievit Dominus Castri propria auctoritate nec non falsa professione male caepta proseguendo. Hunc in professione toleravi, donec infra tempus ei praefixum vel fidem faceret de facultate vel eam a Sanctissimo obtineret, abstinendo in talibus diebus solemnio-

ribus ad praescriptum consuetae Concessionis; sed nulla obedientia.

Ad haec 30. Septembris dictum fuit: *Audiatur Pars*, et 15. Septembris 1674 Parti petenti Commissionem in personam Episcopi vicinioris fuit responsum: *Deducat omnino Jura sua coram Ordinario.* Coram eo itaque adduxit sex Testes annorum 45., 55., 65., 67. et 79., ex quorum dictis habetur, qualiter Oratorium, de quo agitur, est antiquissimum, situm est intra primam Castrum portam omnibus commodum pro audienda Missa, ad illud e vicinis confluunt Habitatores, praesertim tempore excursionum militarium et absque dicto Oratorio plures ex vicina Parochia Missa destituerentur. In dicto Castro prius fuere decem focularia, licet nunc redacta sint ad duo. Oratorium est sacra Supellectili instructum, ab immemorabili nocte Nativitatis Domini celebrata fuit Missa solemnissima, Episcopi antecessores illud visitarunt et in possessione reliquerunt, immo in eo R. P. D. Gorias Sacramentum Confirmationis administravit, ab eo deducitur solemnissima Processio, ac demum in eo reperitur erectus Prioratus confirmatus per sententiam Ordinarii Vercellen. de anno 1643.

Unde dicti Comites de Catellengo petunt, declarari dictum Oratorium publicum et licere in eo celebrare etiam in festis solemnibus, juxta solitum. Sacra etc. censuit Oratorium, de quo agitur, esse publicum. Die 3. Augusti 1675 *lib. 29. Decret. p. 124. a tergo.*

Die 28. Julii 1724.

Nitrien.

Comes Joseph Illeshazy intra Aulam sui Palatii in Oppido Dubnieza Dioecesis Nitriensis habet Oratorium, quod, praevia Episcopi licentia, aliquot ante annos fuit benedictum, deinde ab Episcopo Dorensi Suffraganeo Archiepiscopi Strigoniensis juxta facultatem

sibi ab hodierno Episcopo Nitriensi tributam ecclesiastico ritu consecratum, ita ut pro anniversaria consecrationis die Indulgentiae a Sede Apostolica concedi solitae fuerint etiam impetratae.

At post aliquod temporis intervalum contendente Parocho memorati Oppidi, in praedicto Oratorio Missam celebrari non posse festis solemnioribus, nec pulsari Campanas existentes in Turri dicti Palatii, nisi fundus constituat pro congrua sustentatione Capellani, qui ab eodem Parocho debeat dependere et nisi Turris pro Campanis ad usum Oratorii distincta a Turri Palatii supra idem Oratorium erigatur. Episcopus, ad quem controversia delata fuit, ut certior fieret de statu controversi Oratorii ejusque qualitate, Canonicum suae Cathedralis deputavit, qui, inspecto tam Oratorio quam loco, ubi illud erectum est, distincte retulit, idem Oratorium sacra suppellectili abunde instructum, duobus Altaribus, Sacratio, Cathedra, Subselliis et Organo exornatum habere januam, per quam patet aditus non in viam publicam sed ad Atrium Palatii, quod est muris circumdatum, ita ut ingressus a via publica ad Oratorium non detur, nisi mediante Ostio praedicti Atrii, idemque Oratorium, licet separatim a cubiculis Palatii, habere muros, qui sunt iidem cum muris Palatii et ex Choro habere ingressum ad interiora Palatii cubacula.

Cum haec a Canonico accepisset Episcopus, quia nonnulli sentiebant, praedictum Oratorium esse publicum et licite consecratum, alii vero putabant, privatam esse, adeoque non potuisse consecrari, in hoc opinionum conflictu satius duxit, exposita facti serie mox recensita, Sacram hanc Congregationem consulere, a qua die 3. Apr. superioris anni rescriptum fuit: Episcopo pro nova informatione et signan-

ter super circumstantiis ritus servati in asserta consecratione.

In executionem hujus Rescripti Episcopus Nitriensis literas dedit ad Episcopum Dorensem, qui controversam Capellam sacraverat, ejusque responsum in authentica forma transmisit hisce verbis conceptum: „Pro ejusdem informatione refero, me occasione consecrationis Capellae Comitum Illeshazy etc. (ne specifica quaeque recensendo sim onerosus) omnem omnino, quoad situs loci admiserat, ritum in Pontificali Romano de dedic. seu consecr. Ecclesiae praescriptum (cujus rubricas alias etiam, dum pro suffraganeali munere meo diversa saepius Pontificalia obo, non modo quoad necessaria et essentialia, verum quoad convenientia etiam et consulta, quantum fieri potest, ex asse observare studeo) adhibuisse; praeterquamquod Capella praenotata intra muros Palatii seu Castelli existente, in quantum me situs ejusdem reflectere possum, adeoque circuitum haud admittente, Parietes ejusdem forinsecus non per totum circuitum sed anteriores tamen et posteriores in superiori parte juxta fundamentum et in medio ter aqua benedicta sint aspersae, intrinsecus per totum circuitum, ter ut supra aspersis, item quod duodecim cruces intrinsecus per circuitum, non ad quatuor parietas Ecclesiae seu Capellae ad dictamen Rubricae, verum Ara majore quartum occupante et tegente, ad tres nonnisi, quatuor pro quolibet sint depictae, quos quidem defectus ad esse consecratae et publicae, sensu meo, salvo saniore, officere posse non credo, postquam Ecclesiae non aspersionibus evaderent consecratae, secus etenim plurimae Ecclesiae etiam Parochiales actu cessare deberent esse consecratae. Porro ad ineundam deliberationem de eo, quod sit Episcopo super Dubiis mox subjiciendis rescribendum, cum neque

pro parte Comitum Josephi neque pro Parocho aut ullo alio quidquam in jure circumferatur, operae pretium erit nonnullas sacrae hujus Congregationis Resolutiones addere iis, quae ad decisionem hujus quaestionis late tradunt *Ricc. decis. Cur. Archiep. Neapolit. 78. part. 1., Ventrigl. in prax. Eccl. part. 2. annot. 19. §. unic., Amostaz. de Caus. piis lib. 5. cap. 10., Pax Jordan. elucubr. can. tom. 2. lib. 7. tit. 8. n. 5., Nicol. lucubr. can. lib. 5. tit. 33. n. 7., Pasqualig. de sacrific. novae leg. tom. 1. quaest. 449., Monacell. in formular. legal. part. 1. tit. 5. form. 2. n. 6. et 7. et part. 2. tit. 13. form. 2. n. 41., Ursaya tom. 8. part. 1. discept. 13. et doctissime Eminentissimus Petra tom. 1. ad Constit. II. Paschalis II. sect. 1. n. 79.*

In *Vercellen.* facti summa haec erat: Episcopus Vercellensis prohibuerat, ne diebus solemnioribus Missa celebraretur in Oratorio intra moenia Castri Catallengi existente; at Comitibus de Catallengo exponentibus, idem Oratorium esse sacra suppellectili instructum, ab immemorabili tempore in eo nocte Nativitatis Domini pluries celebratam fuisse Missam solemnem, Episcopos Antecessores illud visitasse, in eo administratum fuisse Sacramentum Confirmationis et tandem publicum et liberum ad illud haberi aditum, cum nocturno tantum tempore clauderetur janua praedicti Castri, Sacra Congregatio die 3. Augusti 1675 respondit, Oratorium esse publicum adeoque licitum esse ibi celebrare festis etiam solemnioribus, ut in lib. 29. Decr. p. 124.

In *Compsana* Censurarum, cum Oratorium in Aula Palatii Baronis Castri Novi situm Ecclesiastico Interdicto fuisset suppositum nec non prohibitum, sacrosanctum Missae Sacrificium ibi celebrari, nisi doceretur de legitima facultate Apostolica, eo sub fundamento, quod ad ipsum publicus non patebat

accessus ac intra septa Palatii positum existeret, ita ut privatam et non publicam dici deberet, memoratus Baro et Scipio ejus filius postulantes ab hac Sacra Congregatione, praedictum Oratorium publicum declarari, ostendere satagerunt, idem Oratorium habere fixum Altare marmoreum et Campanile cum Campana pro convocatione Populi ad audiendum sacrum, dicatum esse S. Joanni Baptistae, festum ejusdem Sancti Titularis solemniter celebrari cum totius Cleri assistentia, ibique erectum reperiri Beneficium sub eodem titulo S. Joannis Baptistae de jure patronatus Baronum praefati Castri, necnon procuratorem Episcopo dictum Oratorium visitanti persolutam fuisse. Disceptato itaque inter caetera hoc Dubio: „An interdictum emanatum per Visitatorem sub fundamento, quod Oratorium sive Capella, de qua agitur, sit privata et non publica, sustineatur in casu? die 3. Maji 1704 rescriptum fuit: Negative, — ut in lib. 54. decr. p. 216. Immo, reposita Causa ad instantiam Episcopi Compsani existimantis, non convenire nec licere quod Atrium Palatii Baronis pro libitu claudi posset, quodque per Palatium ad Capellam haberetur aditus, discussa fuerunt duo haec Dubia

I.: *An aperiendum sit ostium Capellae in via publica vel potius removendae sint valvae impediens ingressum in atrium?*

II.: *An liceat Baroni per Palatium ad Ecclesiam descendere in casu?*

Die vero 8. Augusti 1705 responsum fuit: Ad I. negative. Ad II. affirmative in casu, de quo agitur — ut in lib. 55. Decr. p. 292.

In *Nullius* autem die 13. Januarii 1626 eadem Sacra Congregatio censuit: „Committendum esse Ordinario ut ibi Orator publico Instrumento se obligaverit semitam, qua itur ad Capellam, cuicumque liberam in perpe-

tuum servare, atque illius situs dominio ac juri efficaciter renunciaverit, declaret, Capellam ipsam non comprehendendi in Decreto a Congregatione edito de privatis Oratoriis, petitamque celebrandi licentiam pro suo arbitrio concedat; ubi tamen prius dictam Capellam visitaverit, ac divino cultui peragendo aptam ac decentem esse compererit, atque ita ut nullum hinc praejudicium inferatur juribus Parochialis Ecclesiae, ut in lib. 19. Decr. p. 316.

Et consentaneae ad haec in *Savonen.* disceptatis binis hisce Dubiis I.: An Aedes sacra S. Mariae de Areneto sit Ecclesia publica vel Oratorium privatum in casu? II. An constet de nullitate et injustitia Interdicti et respective suspensionis a divinis in casu? Die 28. Julii 1724 rescriptum fuit: Dilata et fiat Planta judicialis et addatur III. Dubium juxta mentem; — sed proposita Causa sub Dubio: An sit standum vel recedendum a decisis in casu? Die 9. Septembris ejusdem anni prodiit Resolutio: Praevio recessu a decisis quoad I.: Ecclesiam esse publicam, facta tamen declaratione a Senatore Imperiali per Instrumentum publicum, se nullum jus habere in Area sita ante Ecclesiam, nec non quod claves tam Ecclesiae quam Areae praedictae retineantur per Capellanum, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo, quod Area non gaudeat immunitate. Ad II.: affirmative et amplius, — ut in lib. 74. Decr. p. 355.

Caeterum, quia gravior circumstantia concurrans in hypothese ea esse videtur, quod Capella, de qua agitur, consecrata fuit, ut supra dictum est, ab Episcopo legitimam ad id facultatem habente, propterea, si consecratio rite et valide expleta judicetur, perpendendum erit, num ista, praecisis etiam reliquis omnibus circumstantiis, sufficiat, ut Capella dicatur publica. *Hoc enim est praecipuum discrimen*

inter Oratorium privatum et publicum, ut primum sit absque Episcopi auctoritate erectum ad orandum tantum, secundum vero Episcopo auctorizante ad publicum cultum destinatum. Can.: nemo, Can.: si quis etiam, Can.: placuit, de consecrat. dist. 1., Can.: quicumque 16. quaest. 1., *Fagnan.* in cap. auctoritate de censibus n. 1. et 2. et 17. et egregie Eminentissimus *Petra* in suis Commentar. ad Constit. Apostol. tom. 1. p. 391 n. 76. et seq. Omnibus itaque ponderatis, grave non erit Eminentissimis VV. respondere:

I. *An constet. de valida consecratione Oratorii, de quo agitur?*

II. *An idem Oratorium sit publicum seu potius privatum in casu?*

S. C. C. resp. Ad I.: affirmative. Ad II.: affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam, imposita tamen obligatione Comiti Josepho restituendi apertas Fores Atrii de die et constituendi Capellam congrue dotatam.

Die 12. Febr. 1735.

Cf.: *Benedictio Oratorii et Eccles.; Tabernacul.; Missa in Coena D.; Anniversar.* (in Orator.); *Capella; Patronus princip.* (transl. decr. n. 4553 ad 5); *Dedicatio Oratorii; Officia hebdomadae.* (decr. n. 4837); *Communio* (Ecclesia; decr. n. 4870); *Missa* (oblig. aud.); *Missa in Eccles. aliena* (decr. n. 4175, 4751); *Missa* (concord. cum Officio, decr. n. 4669, 5183); *Nativit. Dom.* (Celebratio in Sacello); *Communio* (frequens); *Indulg. Oratorii; SS. Sacram.* (asserv.)

ORDINANDI.

1) Epist. et Evang. legentes.

Vd.: *Epistola* (a quo etc.?). *Evang.* (a quo etc.?). *Evang.* (oscul. Episc. in ordinat.)

2) Genuflexio coram Episcopo.

Quando in conferendis Ordinibus adsunt Subd., Diaconi et Presbyteri, col-

locat Pontificale rom. Subdiaconandos coram Pontifice genuflexos et postea Diaconandos contra cornu Epistolae, Presbyterandos vero contra faciem Pontificis ad medium altaris. Queritur: an his accedentibus Presbyterandis, Subdiaconandi alium debeant petere locum? S. C. resp.: Posse Subdiaconandos statui contra cornu Evangelii. n. 2946 ad 4 die 19. Apr. 1681.

3) Prosternatio.

Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi pro Litanis in conferendis Ordinibus prosternere debent. n. 2946 ad 4 die 19. Apr. 1681.

4) Qualitas.

Vd.: *Seminar.* (Epist. Bened. XIV.); *Ordinatio Debitoris; Ordinatio caeci; Sacerdos.* (habitus etc.)

5) Vocandi ab Archidiacono.

Vd.: *Tonsurandi* (Vocatio.).

Pontificale praescribit quod completa Ordinatione Ordinati suggerente Archidiacono recedant ad loca sua. Quibus verbis uti debeat Archidiaconus in hisce occasionibus?

S. C. resp.: Ad loca vestra vel similibus.

Die 12. Novb. 1831.

ORDINATI.

1) Furtive Ordinati.

Vd.: *Ord. Min.* (Furt. Ord.)

2) Invite Ordinati.

Vd.: *Ordinat. ad Subdiac.* (Valide Ord., quamvis invite.)

ORDINATIO.

1) Altare.

Vd.: *Canonici Cath.* (assistent. in Ordinat.)

Giennen.

(Conc. Tr. C. 8. S. 23. De ref.)

Exortis nonnullis controversiis inter Episcopum et Capitulum Giennen. super modo celebrandi sacras publicas ordinationes concordata fuerunt dubia infra exponenda; cumque in ultima Congregatione habita die 28. Septembris 1726 Episcopus institerit pro aliqua provisione capienda et Capitulum protestatum fuerit, se nullam velle facere oppositionem, sed solummodo expectare responsum super dubiis jam subscriptis et infra referendis, praedicta die editum fuit sequens decretum: „*Episcopus celebret sacram ordinationem ad altare majus vocatis et praesentibus Canonicis et sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro ea die transferatur ad aliud altare et missa sollemnis ab Episcopo celebranda deservire possit pro missa conventuali.*“

Haec sunt, quae hucusque gesta sunt in hoc negotio. Ex juribus autem circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere:

I. An Episcopus Giennen. vigore dispositionis sac. Concil. Trid. sess. 23. de ref. cap. 8. et constitutionis san. mem. Innocentii XIII. incipien. „*Apostolici ministerii*“ et alterius sanctissimi Domini nostri illius confirmatoriae possit vel debeat temporibus a jure statutis celebrare functionem ordinum generalium ad altare majus ecclesiae cathedralis? Et quatenus affirmative;

II. An occasione praedicta possit ibidem pontificaliter celebrare missam conventualem ad sabbatum designatam loco illius, quae celebrari a capitulo deberet cum assistentia omnium praebendorum et aliorum de choro? Et quatenus negative;

III. An ob dictam functionem ordinationum in praedicto altari explen-